



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quid adhæc principes?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

mea, habet qui iudicet eum, sermo, quem locutus sum, ille indicabit eum in nouissimo die. 49. Quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar. 50. Et scio quia mandatum eius vita aeterna est. Qua ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.

IN CAPVT DVODECIMVM ARGVMENTVM.

Bethaniam venit Christus sex dies ante pascha, à Maria in conuiuio vngitur, Iudas murmurans compescitur. Principes sacerdotum etiam de Lazaro occidendo consultant. Christus solenni pompa Ierofolymam ingressus, cum colloquium eius gentes peterent, venisse horam dicit, vt clarificetur filius hominis, granum mortuum fructum daturum, animam suam turbatam asserit. Vt clarificari nomen patris postulat, & mox voce de caelo lapsa hoc promittitur. Iudicium mundi esse, se ad caelum ascendentem omnia tracturum ad seipsum, adhuc modico tempore lucem in illis esse testatus abiit: illi vero non crediderunt, vt fore praedixerat Isaias, sed multi tamen, atque etiam principum quidam crediderunt: Christus autem ad fidem omnes hortatur, se mundi lucem esse. Infideles à sermone suo iudicandos esse, se non à seipso, sed ea, quae acceperit à patre loqui protestatur.

In Syriaca Ecclesia à v. 12. vsque ad 23. legitur, Dominica palmarum, quam illi vocant Osanna. Inde vsque ad finem 2. feria hebdomadis passionis.

VERSVS 1. 2. &c.

Iesus ergo ante sex dies Pascha venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus quem suscitauit Iesus. Fecerunt autem ei cenam ibi: & Martha ministrabat: Lazarus vero vnus erat ex discumbentibus cum eo, &c.

QUESTIO I.

Cur Lazarum videre cupiebant?

- §. 1. DE cena & vnctione apud Matthaeum dixi, in Ioannis textu quaedam notanda sunt, nempe:
 - V. 4. Pro dixit, in alijs est, dicit.
 - V. 6. Portabat, alij exportabat.
 - V. 7. Seruet, alij seruauit.
 - V. 7. Sine alij sinit Brugenfis 1033.
 - V. 8. Habebitis, alij, habetis, ἔχετε.

§. 2. Quod ait ἐγγα οὖν, cognouit ergo, multi ad verum primum referunt: Nempe venit Bethaniam Iesus, cognouit turba: sed potest ad omnia referri, nempe cum Bethaniam venisset, conuiuio exceptus fuisset, late e id turbam non potuit, quare magno numero egressa est ad eum videndum. Nec eum videre modo gestiebant, qui tanta virtute se filium Dei, & Messiam esse probarat, sed etiam Lazarum cuius vita testimonium erat efficacissimum. Quis enim autem in multis curiositatis esset, velle videre resuscitatum à mortuis, eum audire, colloqui, quid in altera vita illi obtigisset cognoscere, non est tamen dubium vllum, quin multi tam indigenae, quam aduenae, optimo animo diuinæ potentiae, & benignitatis argumens vlturpare oculis voluerint. Cur autem nunc eo profecti sint, antea non iuerint, duplex ratio potest reddi. Prima, Lazarum cum Christo abeunte, vna discessisse. Altera: Haecenus multis non fuisse animum, aut fidem tantam, vt videre dignarentur, aut sane occasionem defuisse, nunc audito aduenisse Iesum, auctaque fama extiuisse. Quamuis verisimile videretur magnam eorum, qui exierunt partem ex illis fuisse, qui peregre aduenerant, sub idem tempus, quo Christus in Bethaniam venit.

Vita Lazari testis Christi Misia.

VERSVS 10. & seq.

Cogitauerunt autem principes sacerdotum vt & Lazarum interficerent, &c.

QUESTIO I.

Quid ad haec principes?

§. 1. Cogitauerunt & Lazarum occidere, Graece ἐβουλόσαντο, consularunt. Nullo iam iustitiae respectu, ne famam quidem, aut specie mouentur. Duo vero in illis praecipue crimina conspectissima sunt: Furor & caecitas. Ille: quod nulla causa, nullum crimen erat in Lazaro; nam vt Christum calumnijs premerent, Lazarum tamen nemo accusabat; nec crimen erat, diuinitus vitam recepisse: itaque plus quam humana rabie contra Deum insurgunt, & quam ille vitam dederat, eripere conantur. Multo praefractione superbia, quam olim Nabuchodonosor, qui cum tres pueros in flamma inuolatos videret, Deo cessis, virtutemque illius agnouit, & professus est: Horum in rediuuium perstat odium, & in Christum inuidia. Vere Chryostomus: ἔγω, τὸν χριστὸν ὅτι τὸ σάββατον ἔλαβεν, ὅτι ἰσὺν αὐτὸν ἐπίκει τῷ πατρὶ, ὅτι τὸς σαμαίους, ὅτι φασὶ, τῷ λαῷ αὐτῶν τὴν ἔχοντες ἐγκαλέειν, ἀπαχέρον ἀναρεῖν. Esto Christum, quod sabbatum soluerit, quod aequalem se patri fecerit occidere cogitauerint, quid habetis in quo Lazarum accusetis, quod ei interitum machinamini?

Furor & caecitas in aduertum.

Alterum est, quod Augustinus, Cyrillus, omnes interpretes aduertunt, caecitas, & stultitia tanta, quanta in homines cadere vix possit, nedum principes sacerdotum. Nam qui absens mortuum sciebat, qui verbo in vitam restituit, non poterat vel eum monere, vt caeteris insidias principum, vel sane tueri eum contra improbam violentiam? Quod si occidissent, nonne iterato resuscitare possent? iam non modo diuinæ potentiae testem, sed etiam partem sacerdotalem? Nonne vel hoc timere debebant, Christum qui verbo quadridianum è monumento euocauit, posse Lazari mortem verbo etiam, hostibus eius nece illata vindicare? & reuera furor, itaque mentem praecipitant.

§. 2. Non absimili insania contra Christum eiusque Ecclesiam haeretici grassantur. Multis quotidie miraculis veterem fidem effulgere magna indignatione sua, & opprobrio sectarum sentiunt, cum vero calumnias

Interitum

